



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

nunquam dignè respondere possimus, saltem pro virili respondeamus.



MODUS XXXVI.

MAjor Syllogismi interdum exordium occupat; Minor cum conclusione Orationem explet. Quod si Crinomenon, seu, vis propositionis in majori potius consistat, minor exordium, major, reliquum sermonis conficit. E. gr. si in Festo fundatoris alicujus ordinis dicturus, formares hunc syllogismum. Festa Divorum, qui sacros ordines excitarunt, decet nos gratissimo cultu & pietate celebrare; sed festum N. est tale. Ergo &c. hujus Syllogismi minore exposita in exordio; Major, hanc propositionem conficeret. Dicam, quam gratè & piè obeundi sint, dies Divis fundatoribus sacri: quæ deinceps probatæ, orationem impleret. Sed prior modus tractandi frequentius obvenit. Unde ejus sit

P R A X I S.

In Festo Nativitatis B. V. MARIÆ,

Liber generationis Jesu Christi, Matt. I.

Syllogismus, quo tota constare debet Oratio.

Major. Qui liber, explicat, quid unusquisque a Deo sperare possit: hic liber diligenter relegendus, atq; considerandus est:

Minor.

Minor. Liber generationis, qui hodierno festo, nobis offertur, talis est.

Conclusio. Ergò hic liber, diligenter relegendus atque considerandus est.

Exordium, per majorem propositam.

Multi multa legunt, variis que authoribus oblectantur; nihil tamen credo gratius legerent, sed & nihil gratius diligentiusque legere deberent: quàm, si in eos codices inciderent, ex quibus, quo favore Dei utantur, & quo in futurum usuri sint, discere possint. Hac scilicet ratione, & immensa mala, facile evadere, & immensis bonis, potiri possent.

Propositio. Non fallor Aud. hâc nos felicitate hodierna dies natæ Deiparæ donat. Quod, quam non vanè dicam, tum decernetis: cum me, de eo dissententem, quod liber generationis, sit liber, explicans, quid unusquisque de se præsumere, ac deinceps à Deo sperare possit, audieritis.

Confirmatio, ex probata minore, quæ est idem cum propositione.

Ezechielis capite 2. narrans de se Prophe-
ta, ait. *Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me, qui erat scriptus, intus & foris, & scriptæ erant in eo, lamentationes, & carmen,*

& Væ. Mirabilem sanè librum : qui sic gaudia, & lachrymas miscuerit: Non facile hæc jungant mortales, sed neque Deus ubi necesse est: disjungit, quia, cum ex æquo merita omnium penset, cui væ, væ; cui carmen, carmen; simul etiam, semelq; scribit. unde & in libro Ezechielis, simul hæc junxit: denunciaturus scilicet ex mente interpretum *Væ peccatoribus, lachrymas & lamentationes pœnitentibus, Carmen justis*: atque hac ratione, propositurus unum librum, in quo unusquisque pro statu suo (qui triplex est, peccatorum, pœnitentium, & justorum) legere posset, quomodo res suæ haberent apud Deum, & quid deinceps ab eodem sperare posset. Huic libro Ezechielis, compar est, liber hodie porrectus, liber generationis Jesu Christi. Quid ni? scriptus ille liber intus & foris, & hic: plenus enim est, innumeris unde quaque mysteriis, Angeli manu traditus ille, Ezechieli, & hic D. Matthæo: cui ideo Angelus appingitur. Triplicem ille statum hominum respicit, & sub eo singulos concludit, similiter & iste. Væ ille peccatoribus, lamentationes pœnitentibus, carmen justis denunciat: idem & hic facit: ut proinde, pro hoc statu triplici, quisque in eo, spes suas legere possit, ac imprimis

Væ peccatoribus.

Tales inter alios fuere, Reges, Abias, & Achaz, in libro Generationis citati. De Abia 3. Reg. 15. *Ambulavitq; in omnibus peccatis Patris sui*, qui etiã hic nominatur, scilicet Roboam. De Achaz, habemus 4. Reg. 16. qui eo etiam in peccatis devenit:

ut

ut filium suum dæmonibus immolaret, quid deinde! Mali, male perdit. Væ ergo peccatoribus! Nil iuvat illos, claro nomine, nil alto sanguine censer, dum sceleribus scatent. Ecce prædicti Reges, cum sui paribus, ipsius Christi patres fuerent, de eorum sanguine Matrem accepit, & corpus sumpsit: & tamen æternum perire, imo, *infelix* inquit Chryso. Ser. 122. *quem sic ipsa Origo arguit, quem sic ipse lucis author addicit. Infelix, cui in iudicio pro magnitudine criminis, non misereri genitor, non Pater ignoscere, non affectus novit subvenire.* Merito id, supra hos Reges, merito, supra unumquemque peccatorem inclames. Quisquis es cujuscunque status es, si peccator es, *Infelix es, quem sic ipsa Origo arguit, væ peccatoribus.* Vivo ego, dicet Dominus Jer. 22. *Si fuerit Jechonias annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.* Annulus, signum nobilitatis & excellentiæ est. Nemo tamen sceleratus ei fidat. Contemnetur, abjicietur. *Vna, vera, sola, & communis cum Christo nobilitas est, pergit aureum os homil. 45. ut voluntatem Dei facias, hic propinquitatis modus, multo melior est. Potest qui non genuit esse pater, & qui genuit, non esse Pater.* De reliquo quanquam, ego, inquit Dominus, Psal. 81. *dixi, Dii estis & filii excelsi omnes, vos tamen (nisi peccata caveatis) sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis.* Væ igitur peccatoribus

Lamentationes Pænitentibus.

Harum nos monet Ezech. Rex, & David. de Ezechia Isa, Cap. 38. *Flevit Ezechias fletu magno,*

de Davide item quis ignoret? & ipse de profitetur
 Psal. 41. *fuerunt mihi lachrymæ panes, die ac nocte.*
 Felices lachrymæ, & omnibus gaudiis nobiliores,
 quæ sic Deo placuerunt: ut hi Reges in libro ge-
 nerationis inter pœnitentes scriberentur: ac pro-
 inde, de Deo sibi reconciato gaudere mererentur.
 Scilicet, audire meruit Ezechias exauditam esse
 orationem ejus, & David 2. Regum. 12. *Transtulit*
Dominus Peccatum tuum à te. Quam vere Chrysol.
Quod defendi, non potest, quam sanctè Bernardus
 Ser. 1. in Octava Paschæ, *Est baptismus aliquis, in*
compunctiōe cordis. Sed planè, ad rem præsentem
 D. Chryl. in Psal. 50. *In codice, inquit, sunt scripta*
peccata tua, spongia peccatorum tuorum lachrymæ
tue sunt: effunde lachrymas & delebis. Ita factum est
 cum Ezech: ita cum Davide, qui in numero eorum,
 quibus væ, prius inclamatum, scripti: lachrymis,
 peccata sua deleverunt, ut hodie inter lamentantes
 legerentur. Videte Christiani, an vos, inter eosdem
 legi mereamini, & si meremini, lachrymas saluta-
 res fovete, ne similes efficiamini improbo Ezaui:
 de quo Gen. 27. *accepto pane, & lentis edulio, come-*
dit, & bibit, & abiit, parvi pendens, quod primogeni-
ta vendidisset: quin curandum esset, ut omnes imi-
 taremur, Divam Catharinam Genuensem, quæ, in
 contritione cordis, per plures menses perdurans:
 illud solum ingeminabat: *non amplius mundus, non*
amplius peccata.

Carmen

Carmen Justis.

Tales hic plures numerantur. Abraham, Isaac, Jacob. Carmen Justis, sed imprimis Justissimæ, ac principi Justorum Virgini Mariæ, hodie in mundum editæ. Carmen tibi & lætitia, O Di-
 Diva; Virgo! hoc libro scribitur, quia, JESU Christi filii Dei MATER denunciaris, ac inde omnium hominum felicissima, dignissima. Verè, tē Deus elegit, & præelegit, O dilecta Patris æterni, O mater filii, O sponsa Spiritus S. Gaudere igitur & exultare debes, debentque omnes tibi applaudere, & salutarium carmen dicere, ac beatam prædicare, inter omnes generationes. Carmen igitur tibi sanctissima infantula, sed & carmen in tua nativitate omnibus justis 1. Quia in tua nativitate panditur liber, veræ generationis JESU Christi, & omnium electorum, 2. Quia tu es porta, de qua Psal. 117. *Hac porta Domini, justi intrabunt per eam.* 3. Quia tu es Dux omnium justorum, quos deducis ad terram promissionis, assimilata columnæ ignis, & nubis, de qua Exod. 13. tria præcipua legimus: quod populum electum, Ducebat, Protegebat, Regebat. Sic equidem tu Electos ad Patriam felicem ducis; & enim illis juxta *Ambros. species castitatis: & norma virtutis.* Protegis; inter DEUM & illos mediatricem & promerendo, ut per te respiciens DEUS, N 4 perdat

perdat inimicos eorum: *Regis*; ne aberrent mentem illustrando, & à deviis vitiis abstrahendo. Carmen igitur, in libro Generationis, cum tua natiuitate iustis.



MODUS XXXVII.

AD celandam artem Syllogisticam, major Syllogismi, loco suo subtrahitur: incipitque probatio, aut à ratione majoris, aut à confirmatione, aut à simili, exēplove: donec aptè circumductus, sermo; aut majorem omiffam, post ejus partes relumat: aut ad minorem & conclusionem annectatur.

P R A X I S.

In Festo Assumptionis B. V. MARIÆ.

MARIA optimam partem elegit Luc. 10.

Accessus & propositio. Cum prædicta verba Dei-
paræ Virgini, hodie assumptæ, ita ab Ecclesia
accommodantur: ut meliorem partem elegisse, cogitari non posset, quin etiam cum altera MARIÆ,
sedens ad pedes Domini cogitetur: id porrò, nec
congruum satis, hodiernæ solennitati, nec promptum intelligendo, censerì posse videtur, quomodo enim optima pars, quæ ad pedes humiliata? quomodo congrua gloriæ cælesti, quæ in terram adstrata? Cælum, cælum petunt oculi, cælum suspi-
rat